





Per gratiam invenitur requies gloria. Lycin.

facilis est solutio ex sententia Theologorum, quod cum gratia sit semen gloriae, qui accedit ad gratiam iam virtute, ac in radice accedit ad gloriam. Et ait Lycinus: Accedamus ad thronum gratiae, ut requiem inveniamus, quia per gratiam invenitur requies sempiternae gloriae.

QUESTIO XXII.

Quare haec aqua Christi extinguat sitim in aeternam, cum Angelus dederit potum Eliae solum ad quadraginta dies?

146. 3. Reg. 19.

Apparet Angelus Eliae deferens panem, & vas aquae; & ait illi: Surge comede. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit; & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta noctibus, 3. Reg. 19. num. 8. Cur aqua concessa à Christo tollit sitim in aeternum, & ministrata ab Angelo solum per quadraginta dies recreat Prophetam, ac ejus sitim extinguit? Ratio literalis manifesta; quia haec aqua Christi est spiritualis, quae nunquam, quantum est ex parte sua, deficit; aqua vero Angeli materialis, quae miraculose praestitit illum effectum, ne sitiret Eliae per quadraginta dies; ut ibi late explicat Abulensis, Ratio vero moralis. Aqua, quam Christus praebet, recreat hominem, ne in aeternum sitiat, est enim aqua, ac donum est manna Domini deveniens, quod extinguit, ac sedat sitim. At aqua distributa manu ministri, etiam Angeli, in opportuniori occasione deficit, & non tollit sitim, ita ut necesse sit, quod homo esuriat, & sitiat. Et ita ait S. Optatus lib. 4. contra Parmenionem. Aquam, quam ego do, qui biberit, non sitiet in aeternum. Non dixit, quam dederim, qui se sanctos putat, sed se daturum dixit. Nam solum aqua, quam Dominus dat, poterit satiare in aeternum, non vero quam minister praebet.

147. Exod. 16.

Cum populus itineraretur per desertum, volens Dominus caelesti manna cum alere, ait Moyse: Ecce ego pluam vobis panes de caelo: egredietur populus, & colligat quae sufficiunt per singulos dies, Exod. 16. num. 4. de quo agens Psalmista ait: Pluit illis manna ad manducandum, & panem caeli dedit eis, Psalm. 77. num. 24. & Sapientia ait: Paratum panem de caelo praestitisti illis, Sapient. 16. num. 20. Merito dubitabis, cum multa mirabilia facta sint in Aegypto per manum Moysis, ac ejus virgam; Aquae verbae sunt in sanguine, diffusa in aere tenebrae, ranae ebulliverunt in aquis, grando cecidit in nubibus, ut patet cap. 7. Exod. & c. Mare per manum Moysis divisum est, & iterum per manum Moysis reversa sunt aquae, Exod. 14. n. 17. quae operuerunt Aegyptios, dum manus Moysis extendit elebantur, vincitur Amalech ab Israelitis. Si tot portentosa perpetravit in Aegypto per manum Moysis, cur etiam quando manna est caelo cadit, ibi non intervenerunt manus Moysis? Potentiores erant ad tot plagas infligendas in Aegypto, quam ut famelicis cibum darent? Minime; divina virtus interventu Moysis utrumque poterat perpetrare, tamen ipse Deus de caelo pluit, &

Manus ministrandi ad videntes manus Domini ad benefactionem.

praestat manna. In quo ad nostram moralem eruditionem magnum mysterium voluit declarare. Beneficia; ubi devotos in vitam aeternam. Per manum Moysis vexetur plagis Aegyptus; ac aquis obruatur Pharaon cum suo exercitu, ac vincatur Amalech: at dum Manna supremi Regis donum est caelo cadit, ipse Dominus det, & distribuatur. pluat, nulla ibi sit manus ministrantis, sed ut nollus esuriat, sed omnibus superabundet. Et ita praecipit Deus, ut unusquisque sibi colligere non verò per distribuentium manus haberet. Pro qua re optime ait Cassiodorus lib. 12. variat. 11. Dona Regum nulla debent pollutione fuscari, sed sicut ab ipso exeunt copiosa, ita debent, ad civis pervenire: mutant enim quamlibet laetitiam ministrorum manus: & sicut fontis puritas per limosa corrumpitur; sic affluentia boni Regis amarit distributionibus immutatur.

Cassiod.

10. n. 14. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.

VERSIONES.

- Tolet. ex Graeco. Immo potius aqua, quam ego dabo.
D. Cyrill. Alex. Fiet ei fons aquae, lib. 2. cap. 85.
Syriacus. Fons aquarum salientium in vitam aeternam.
Vatablus. Evadet in eo fons aquae.
D. Athan. lib. 1. Efficietur in ipso fons de incarnat. aquae scaturientis.
D. Hier. in c. 14. Fiet in eo fons aquae vivens, & salientis.

EXPOSITIO.

PROMISERAT Dominus mulieri aquam vivam; superiori versu explicavit excellentiam naturae suae aquae, quae tollit sitim in aeternum. Declarat modo vitam, quod ista aqua fiet in bibente fons aquae salientis, seu viventis, ut legit Divus Hieronymus. Ait Dominus: Sed aqua, quam ego dabo. Illa particula, sed, legitur ex Graeco per modum exaggerationis, & augmenti, imò potius, Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, scilicet ex gratia divina Spiritus sancti, ipse Spiritus sanctus, ut explicat D. Chrysostomus homil. 31. D. Ambrosius, D. Cyrillus statim citandi. D. Thomas Albert. Magn. qui per Christum datur credentibus sit fons aquae productis eos in vitam aeternam. Et hic est legitimus sensus. D. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto, c. 19. refert, quod aliqui patrem ipsum interpretantur, qui est fons, à quo omnium nostrum vita Christi procedit. Alios refert, qui dixerunt, hunc fontem esse ipsum Filium à quo emanat nostra vita, quae est Spiritus sanctus, Et in hac explicatione sunt D. Athanasius lib. de Incarn. Christi, D. Paulinus Epistol. 3. ad August. alios refert, qui per fontem intellexerunt Spiritum Sanctum, quam interpretationem ipse Ambrosius sequitur cap. 20. S. Sophronius Orat. in Nata

148.

Hieron.

Chrysof. Cyril. D. Thom. Albert. Mag. Quid significet fons hoc loco. Ambros.

Athanas. Paulinus.

Sophron. Orat. in Nata

Fons B. Virgo ducens suos devotos in vitam aeternam. Paschas. Fons Eucharistia ducens ad vitam aeternam.

Hieron.

Rupert.

149. Spiritus sanctus ducit in vitam aeternam.

Bonavent. D. Thom. Cajetan.

Cyrril.

Natali Domini, per hunc fontem salutem intelligit B. Virginem Mariam, quae sua intercessione suos devotos producit in vitam aeternam. D. Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini, cap. 1. sacram Eucharistiam interpretatur; quae nobis dat vitam aeternam. Haec aqua, ut ipse explicat & illa quae miscetur in calice, & convertitur in vinum, & postea transit in sanguinem Christi, Et subdit S. Pater, Nec dubium, quia sub hoc mysterio illam bibamus aquam, de qua Dominus: Qui biberit aquam, inquit, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam: propterea non inconvenienter, etiam ob hoc, ibidem aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem. D. Hieronymus in c. 14. Zachar. per fontem sacram doctrinam interpretatur, quae nos ducit ad caelestia. Tandem Rupertus lib. 4. in Ioan. fontem hunc de Baptismo explicat, qui nos ducit in vitam aeternam.

Salientis in vitam aeternam. Tanta est efficacia Spiritus sancti, ut per sua dona ac supernaturales habitus hominem elevat, ac ducat in vitam aeternam. Et dicitur salientis, non cadentis; quia haec gratia Spiritus sancti semper ad superna tendit, ac ascendit, semperque in Deum fertur, ut explicat D. Bonaventura. Dicitur fons aquae salientis, quia, ut interpretatur D. Thomas, Cajetan aqua divini Spiritus nunquam siccatur, sed semper nova opera prodire facit. Vel fons aquae scaturientis, quia caelestis gratia, quantum est ex parte sui, nunquam deficit, sed semper pleno amne fluit, ut dicam quast. sequenti ex Theophylacto, D. Cyrillus lib. 2. cap. 25. per fontem interpretatur Spiritum sanctum, à quo devenit aqua scaturiens caelestis doctrinae.

QUESTIO XXIII.

Quare Spiritus divinus dicatur in nobis fons, & non mare, vel stagnum aquarum.

150.

EX superiori expositione sit manifestum; quod per fontem hoc loco, intelligitur Spiritus sanctus, siquidem ab ipso fluunt omnia bona supernaturalia in nos. Ratio vero literalis, ob quam à Christo Domino hic appellatur fons ea est, quia Dominus ex fonte illo materialis, ad quem sedebat, sumpsit metaphoram ad fontem supernaturalem, siquidem ex aqua illa materialis, ad aquam spirituales vitae aeternae habuit exordium sermonis: Alias vero rationes morales ad nostram eruditionem inquirimus.

151. Ambros.

Respondet primò D. Ambrosius lib. de Filij divinitate, c. 6. Dominus, ait, fons aquae viva appellatur, quia ex eo sitientia corda caelestis aquae gratia irrigantur. Animam nostram, cum sit terra arida, ut ait Psalmista 142. n. 6. Anima mea sicut terra sine aqua tibi, ipse divinus Spiritus suo caelesti rore irrigat, ac divinae aquae gratia fecundat. Secundò Hugo. Fiet in eo fons continuè fundens, quia semper manat, nec est otiosus. Non stagnum aquarum, sed fons; stagnum enim aliquando siccatur in aquis; at verò fons semper est manans, & dans aquas: ita Spiritus sanctus in anima, quam fecundat, semper nova dona, ac bona communicat. Et ait pulchre Theophylactus

Theoph.

Etus hic: Fons sit aqua, quae in dies magis, ac magis multiplicatur. Divinus Spiritus in anima per illustriores actus eam semper ad novum augmentum promovet.

Tertio, Divus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. c. 85. Qui biberit, inquit Christus, ex aqua, quam ego praebeo, non modo nunquam sitiet, sed illam in se ipsa fontem continebit. Aqua, quam Christus dat, non sit in nobis rivulus aquae; vel aliqualis portio aquae; sed fons; animae enim quam Christus fecundat, non pariter, aut divisa sunt dona, sed totus illapsus se illi communicat, ac totum Deum fontem aquae vivae in se anima continebit, cujus dona; plena, ac consummata undique sunt. Quarto idem Divus Cyrillus citato loco: Aquam, ait; rursus gratiam Spiritus appellavit; quam qui adeptus est, divina scientia scaturientem fontem si adeptus est, ut facile possit ad potum verbi caelestis etiam ceteros hauriri, quales olim erant Prophetae, & Apostoli. Divinus Spiritus fit in nobis fons, non puteus; nam puteus sibi soli continet aquas, & nescit alteri dare: at fons sibi soli aquas non retinet, sed per aliorum prae diffundit, eorum campos irrigans. Ita divinus Spiritus animam impinguescit, ut Spiritus dona intellectus, scientiae, ac aliorum bonorum ibi minime claudantur, sed caelesti vena doctrinae in alios diffundantur, eos, docendo, illuminando, ac ad aeternam vitam perducendo. Vide lib. 2. c. 5. n. 14. & ibidem n. 106.

152.

Cyrril. Deus, non pariter, sed perfecta dat dona.

Cyrril.

Qui divina dona habet, omnibus communicat.

153. Ruricus.

Quinto, Ruricus Episcopus Lemovicensis lib. 2. Epistol. 33. Hanc aquam, ait, si quis fidelis, non gustu tantum summo tenus ore libaverit, sed totis animae visceribus appetens conviva forbare; & protinus in laudem Domini omnipotentis erumpet, & hoc incipiet eruclare, quod biberit. Valde mirabile est, quod hic fons emittat aquas suas in vitam aeternam, hoc est, in caelestia. Cur haec aqua non cadat in cor, ut ipsum irriget, sed ad caelum feratur? Mare aquas suas per terrae meatus transfundit; at haec aqua est fons totus saliens in caelum. Ait Jacob in sua Canonica, cap. 1. num. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. Cum ergo gratia sancti Spiritus, qui inter sua dona animi gratitudinem communicat, à caelo dilabatur pia anima, illam recipiens; inde impulsus divinae gratiae, tanquam aqua è fonte, salit sursum, ut ipsa totam in laudem sui datoris erumpat, ac ipsi pro tot donis acceptis gratias referat. Divina gratia non fit in nobis mare, sed fons; nam aqua maris per occultas venas deorsum tendit: at fons totus ad superna conscendit, ut in laudem sui Creatoris totus se explicet, & ipsum quærat, ut ibi requiescat. Protinus in laudem Domini omnipotentis erumpet, & hoc incipiet eruclare, quod biberit. In hac etiam sententiam tendit Rupertus lib. 4. in Ioan. nem. Aqua haec à quocunque, ait, bibita fuerit, ad matrem suam aeterna divinitatis abyssum reficit, & illuc, inquam reficit, unde venit, pariterque bibentis animam, etiam si in infernum descendit, saliendo in vitam aeternam sustollit. Vide supra cap. 3. numero 256. & 257.

Jacob 2.

lustus omnia bona accepta in laudem Dei refert.

Rupert.

154. Nyssen.

Sextò, Divus Gregorius Nyssenus lib. de Oratione Dominica. Aquam, ait, ad aspergendum, non ex alienis rivulis, sed in nobis ipsis scaturientem Deus laetit, sive oculorum quis fontem dicat, sive puram cordis conscientiam, Caelestis ros vendens in vivens à gratia, ac auxilio Dei fit in nobismetipsis, &

ac